

Cap. XLII. De forma sacramenti preconum et
eorum officio. R.ca.

Iurabunt precones comunis Tergesti sequimen potestatis iudicum vel rectorum et credentiam, et offitium suum legaliter exercere, et facere precepta omnia et ambaxatas eis comissa, et rectas (et) recordationes et relationes dare super omnibus inquisitis, et legaliter facere omne id quod eis // per dominium fuerit ordinatum, et ad palatium venire ad presentiam domini quam citius tintanabulum audierint bona fide, et vendere omnes res que eis date fuerint ad vendendum sine fraude aliqua, et rectam reddere rationem de denariis ex ipsis rebus acceptis dominis earundem, nec denarios ex dictis rebus acceptos ullo modo expendere, et dictas res alicui modo aliquo pignorare; et habere et recipere pro eorum remuneratione de bonis flexis venditis ad mercatum, videlicet de una marcha inferius septem par. pro suis cridationibus, et ab una marcha superius quatuor par. pro qualibet marcha; de mobili vero pro qualibet libra par. quatuor par., et si fecerint aliquam venditionem de bonis comunis, nichil a comuni habere vel recipere. ¶ Salvo quod de bonis mobilibus vel immobilibus venditis ad incantum extimarie per extimatores comunis, recipere et habere debeant unum frx. tantum pro qualibet deliveratione ipsorum bonorum, et hoc ab emptoribus dictorum bonorum. ¶ Et dare denarios quos recipient de rebus per eos venditis dominis ipsarum rerum ipsa die, si forenses fuerint, et si fuerint cives sequenti die, etiam pena viginti sold. par. pro quolibet preconone et vice qualibet contrafacta. ¶ Et non incantare vel facere incantari aliquam rem pro se, etiam pena viginti sold. par. pro quolibet preconone et vice qualibet contrafacta, et nichilominus si talis venditio fieret, ipso iure sit nullius valoris. ¶ Item precipere quibuscunque personis secundum quod eis per dominium fuerit inpositum, et si fuerit preceptum in favorem comunis, nullum premium recipere vel habere. ¶ Et de quocunque precepto facto ad petitionem cuiuscunque persone singularis, unius vel plurium, cuiuscunque condicionis dictum preceptum sit, recipere quatuor par. tantum pro quo-